



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola I. Bonifacii Papae I. Ad Honorivm Avgvstvm. Supplicatio papae Bonifacii, vt constituatur a principe, quatenus in vrbe Roma nunquam per ambitum ordinetur antistes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

minus duobus mensibus, & tribus diebus. Idem S. Prosper & Marcellinus in chronico testari videntur, dum ad consulatum Mariniani & Asclepiodoti, ingressum successoris referunt. Baronius anno 423. num. 8.

EPISTOLA I.
BONIFACII PAPÆ I.
AD HONORIVM AVGVSTVM.

Supplicatio papæ Bonifacii, vt constituatur a principe, quatenus in vrbe Roma nunquam per ambitum ordinetur antistes.

Bonifacius episcopus Honorio Augusto.

Dist. 27.
Ecclesiæ
meæ, cui.

ECCLESIAE meæ, cui Deus noster meum sacerdotium, vobis res humanas regentibus, deputavit, cura constringit, ne causis eius, quamvis adhuc corporis incommoditate detinear, propter conuentus, qui a sacerdotibus vniuersis, & clericis, & Christianæ plebis perturbatoribus agitantur, apud aures Christianissimi principis desim. Si quidem secus quam oporteat eueniat, non vos id facere, qui cuncta æqua moderatione componitis, sed nos per nostram tacentes desidiam videbimur, quod ciuitatis quietem, & ecclesiæ pacem peruertere valeat, admisisse. Cum enim humanis rebus diuinæ cultor religionis, Domino fauente, præsideas: nostra culpa erit, si non id sub vestra gloria (quam certum est diuinis semper rebus animo promptiore fauisse) firmo & stabili iure custodiatur, quod per tot annorum seriem & sub illis etiam principibus obtinuit, quos nulla nostræ religionis cura constrinxit, id est * vt fidens vtar licitis, & sub vestra imperio clementiæ, minime quæ sunt illicita formidentur. Ipsa enim ecclesia deuotionem tuam, Christianissime imperator, * meo quidem sermone, sed suo venerabili appellat * affectu, quam Christus Deus noster, vestri fidus rector gubernator imperii, vni desponsatam sibi & intactam virginem seruat, ne in eam aliquos patiamini insidiantium procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari, gloriosissime & tranquillissime imperator Auguste. Ipsa ergo (quæ vni

* nostra vni desponsata, * vestra tamen mater est) ecclesia, hac pietatem vestram legatione, quam suis sacerdotibus commisit, appellat, præterita præsentiaque repetit. Vobis, inquit, religiose imperantibus, creuit meus, qui modo tuus est, populus, tam fidus Deo, quam tibi, qui es princeps Christianus. Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit imperii, teste (apud quem & de cuius sede agitur) S. Petro, sollicitis pro religionis obseruantia vocibus clamat: cum sollicita petitione miscetur oratio, ne nos in varias res semel euulsa distrahat a Dei cultu solito, tentatore sollicitante, discordias. Angeretur pluribus, princeps Christianissime, mater ecclesia, nisi apud te suarum esset secura causarum: & nisi in oppressionibus idolorum, in hæreticorum correctionibus, fide tua, diuino cultu pariter cum imperio semper florente vicisset. Habet refugium, pium tuæ mansuetudinis animum, cum suæ religionis veneratione coniunctum, cum quidquid * huic proficiat, vos agatis, & conferatis fratribus & confacerdotibus meis, probatissimis viris, a me & ab omnibus, qui ecclesiam faciunt istiusmodi, legatis; quibus precamur, sacræ causam religionis prosequentibus, in vrbe vestræ mansuetudinis, hoc animo, quo postulatis annuitis, in perpetuum statui vniuersalis ecclesiæ consulatis. Datum Kalendis Iuliis.

NOTA.

^a *Epistola.*] Cum Bonifacius in urbem regressus, ecclesiam schismate conscissam consolidare, ciuesq; in mutuam concordiam restituere ac firmare non destitisset, & paulo post in morbum, vnde non nihil periculi obitus imminerebat, incidisset, Eulalius cum suis, apud Antium non longe ab vrbe in ecclesia S. Hermetis exulans, obitum illius, longa ætate ac mala valetudine fracti, expectabat. Verum diuina gratia aliquantulum conualefcens, cum hoc aliisve experimentis didicisset, Romanæ ecclesiæ concordiam diuulsam esse, eam quibus posset adminiculis fulcire curauit: & consulens in futurum, ne post suum obitum eadem ecclesia grauiore scissura distraheretur, ad imperatorem Honorium hac de re sollicitus præcedentem epistolam scripsit.

Eulalius
schismati-
cus Bonifa-
cii mortem
expectat.